

(1274) 1275, gener, 16

*Amau de Torre capbreva a Ramon de Lledó, obtentor d'un benefici fundat per Brunissendis de Gironella, i, després de la mort de Brunissendis de Castellterçol, al celler de Sant Daniel, el mas de Torre de Sant Martí Vell i certes terres que es descriuen.*

ASD núm. 228, perg. mig., 255 x 345 mm, carta partida. Còpia: Llibre 21, núm. 141, ff. 157-161.

Sit omnibus notum quod ego Arnallus de Turre de Palaciolo, parrochie Sancti Martini Ueteris, cum testimonio huius publici instrumenti recognosco per me et meos tibi Raimundo de Letone, clero obtinenti locum presbiteri quod domina Brunissendis de Gerundella olim defuncta in monasterio Sancti Danielis instituït quod ego in omni uita Brunissendis de Castroterciolo, dicti monasterii monialis, sum tuus homo proprius et solidus cum omni prole quam habeo et a me descendente, et post uitam dicte Brunissendis, officii cellarii monasterii eiusdem, qua de causa promito tibi dicto Raimundo domino meo stipulanti quod ero tibi fidelis et legalis, et post uitam dicte Brunissendis, officii cellarii supradicti, nec alium dominum reclamabo nisi te uiuente dicta Brunissende, et post uitam eius cellarium supradictum. Et recognosco quod ego teneo per te, uiuente dicta Brunissende, et post eius uitam per officium supradicti cellarii totum caput mansum meum de Turre qui est a. put Palaciolum, in parrochia Sancti Martini Ueteris cum omnibus placeis et quintanis dicti mansi circumquamque cum oliuariis. que in eis funda te sunt et omnes introitus et exitus dicti mansi et campum de Podia Marciali qui est apud Uillosser et campum qui dicitur Campus Tercerius qui est in eodem loco et campum de Monterotundo cum suis pertinenciis et duos clausos in quintanis dicti mansi, excepta una pariliata que dicitur Maneda que est in capite superiori clausi quod est subtus dictum mansum, que pariliata est alodium fiscalinum. Item teneo unum campum qui dicitur Mayoles ad locum qui dicitur Lagosta et duos torinos de terra ad pratum de Uilalonga et unum quadrum terre cum una oliuaria que in illo est ad caput coste den Jordi et unum quadronum terre ad locum qui dicitur sa Mola et unum ortum ad locum qui dicitur de Ponte uersus Dallem Magnam, et omnes alias possessiones. si que sunt in dicto mansa, excepta mansata quam teneo per Guilielmum de Beuiano et quadro de na Terrades cum duabus oliuariis que sunt ad Molam et omnes predicte terre sunt in parrochia Sancti Martini Ueteris supradicta, de quibus dictis omnibus terris, excepto orto et maneda supradictis, presto et prestare debo pro agrariis tibi et omnibus illis qui caput mansum meum tenebunt post uitam dicte Brunissendis de Castro Terciolo ut est dictum tascham fideliter et braciaticum de omnibus expletis. Item teneo pro te in omhi uita dicte Brunissendis et post eius uitam per officium cellarii supradicti, uineam de Monteacuto in parrochia supradicta, de cuius expletis debo prestare pro agrariis fideliter tascham, pro quibus et omnibus supradictis presto et prestare debo annuatim pro censu duodecim solides monete barchinonensis de temo in festa Natalis Domini et quatuor migrerias ordei boni et pulcri ad mensuram ueterem censualem de Agnallis in mense iulii et duas migrerias frumenti boni et pulcri ad eandem mensuram et tres quarterias cibarie ad eandem mensuram in eodem

tempore et duas iouas, scilicet unam in madio et aliam in sementerio et medium cuppam olei annuatim in festa Natalis Domini pro oliuariis ad mensuram rectam Gerunde, allatam in Gerunda ad tuum hospicium et post uitam dicte Brunissendis monasterio Sancti Danielis, et unum par gallinarum in eodem festa et unum caseum in festa Pasche annuatim et duo oua in festa Penthecostes et unam somatam asininam racemorum tempore uindemiarum et nichil aliud pro censu uel agrariis; unde promito uobis dicto Raimundo de Letone domino meo prestare et facere predicta omnia tibi in omni uita dicte Brunissendis et post eius uitam cellario monasterii supradicti. Et ego Raimundus de Letone clericus supradictus, laudo et concedo tibi dicto Arnallo de Turre de Palaciolo parrochie Sancti Martini Ueteris et tuis perpetuo totum predictum caput mansum cum omnibus suis possessionibus, terris et pertinenciis superius expressis et cum arboribus generum diuersorum et ingressibus et exitibus et omnibus melioramentis que in eisdem facere uolueritis tu et tui, prout melius et utilius potest dici et intelligi ad tuum comodum et tuorum ad omnes uestras uoluntates in perpetuo faciendas, saluo iure meo et dominio ac dicti cellarii ut superius est iam dictum in omnibus et per omnia. Et quia dicte oliuarie sunt quasi ad desicationem redacte, propter quod ego non poteram de tascha et braciatico fructum dictarum oliuarium uno anno cum alio comput<at>o habere ultra medium quartonum olei, ad hoc ut tu et tui dictas oliuarias uiuificetis et conrezetis et quia tu et tui deinceps inde prestabis medium coppam olei censualiter ut est dictum, et hoc sit magis expediens et utilius dicto loco, ideo dimito tibi et tuis perpetuo tascham et braciaticum fructuum dictarum oliuarium de quibus fructibus erat inter me et te contentio annuatim. Et propter laudationem et confirmationem huiusmodi accipio a te de bonis tuis quinque solidos barchinonenses de terno, renunciando omni excepcioni peccunie non numerate ac etiam non solute. Et recognosco tibi quod alia supradicta que prestas et prestare debes pro agrariis et censu ut superius continetur, non debes afferre in Gerundam, nisi tantum oleum supradictum, set ea omnia debes afferre ad cellariam Sancti Martini U eteris.

Quod est actum .xvn. kalendas februarii anno Domini .MCCLXX. quarto.

Sig+num Arnalli de Turre predicti, qui hec firmo et concedo. Testes huius rei sunt Berengarius Mir de Sancto Martina Ueteri et Raimundus Sala, corrigerius. Sig(s. man.)num Raymundi de Letone presbiteri tenentis locum presbiteratus quem domina Brunissendis de Gerundella instituit in monasterio Sancti Danielis, qui hoc firmo. Sig+num Berengarie, Dei gratia abatisse Sancti Danielis, que hoc firmo et lauda, appositum eius mandato per manum mei Michaelis de Ulmo, scriptoris suscripti.

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Raimundus de Caciano, notarius publicus Gerunde pro domino infante Petro, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 473-476